

aëre inchoaturus, indeque gradatim profundius descensus sim, hinc omnia ea, quæ ad mare pertinent, adhuc paulatim reponam, ac prius in terram ine demittam, illas opiniones, quæ Regnum Vegetabile concernunt, paucis examinaturus.

Sylvaticus \* primum, Ambram gryseam *Gummi* esse, inquit; quæ opinio verò, absque ulla prolixitate, tantum ex mixtione & partibus constitutivis Ambræ, statim funditus evertitur, quia Ambra nequidem ut Gummi-resina, de qua saltem aliqua pars in aqua se solvi patitur, multò minus autem ut purum Gummi, quod totum in aqua solvi debet, sese monstrat: apertè potius contrarium in Ambra apparet, adeoque nihil Gummosi hinc subest.

Alij volunt, Ambram gryseam esse *Resinam* † vel *Jacrymam balsamico-resinosam* certæ cujusdam (ut perhibent) sed adhucdum incognitæ Arboris, ex his arboribus, quippe quæ proximè ad mare, vel oras littoris crescerent, destillare & defluere illam resinam in mare, in quo circumagitata, aqua salina imbibita, simulque à Sole digesta, tandem in veram Ambram excoqueretur; Verum & hæc opinio perquam fabulosa apparet: 1<sup>mo</sup>) Arborea, quam propinquissime ad mare locatas esse oporteret, si emanans resina in illud destillare ac defluere deberet, 2<sup>do</sup>) hæc arborea valde profundas radices agere necesse haberent, ne in tanta propinquitate ab alluentibus perpetim fluctibus convellantur, subfodiantur, aut planè subvertantur & proluantur, 3<sup>to</sup>) si singulæ guttulæ vel defluentæ exiguæ massulæ in

\* In Pandect.

† Alexand. Geraldinus in Itinerario suo ad Pontif. Leon. X. ex Libavio Lib. IV. Singular. C. II, in Scholiis, pag. 320. à D<sup>no</sup> Boyle. V. Philosophical Transactions, N<sup>o</sup> 97. pag. 6113 & seq.